



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum de iureiurando à testibus synodalibus præstando.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Decretum de iureiurando a testibus Synodalibus præstando.

**H**Oc decreto, Reuerendiss. singulis Episcopis, in quorum Dioecibus pro officij nostri munere testes Synodales nominauimus, eam facultatem impartitur, vt illos qui ab hac Synodo ab sunt, iureiurando adstringant, ad formulam in Concilio Prouinciali iiii. præscriptam: idque duorum mensium spatio exequantur, tum nos de re præstita per literas certiore faciant.

His absolutis, quæ ad testes Synodales pertinent, RR. Promotores postremo contra absentes institerunt.

Et cum iam ad finem hæc actio conciliaris peruenisset, RR. Promotores pro subscriptione institerunt.

Mox Illustriss. Metrop. monuit omnes Reuerendiss. Episcopos, & absentium procuratores iussit ordine post se ad subscribendum accedere, decreto de suggestu per Cancellarium promulgato in hæc verba.

Decretum de subscribendo.

**C**AROLUS misericordie diuinae tituli S. Praxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis Sanctæque Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, admonet Reuerendiss. Patres omnes, qui huic Synodo iure interfuerunt, vt post se singuli loco & ordine ad altare maius accedant, & ijs quæ in hac Synodo decreta sunt, subscribant. Mandat etiam absentium Episcoporum procuratoribus, vt nemo eorum, proposita excommunicationis poena, Mediolano discedat, nisi prius sui Episcopi nomine decreta in hac Synodo edita suscipiens, vnusquisque illis subscripserit.

Hoc decreto promulgato, Illustriss. Metrop. primò, & omnes Reuerendiss. Episc. præsentibus, ac procuratores absentium cum sufficienti mandato interfuerunt, ordine ad altare maius singuli accedentes, in Cornu Euangelij consisteres, subscripserunt.

Subscriptionibus absolutis, quas cancellario præsentibus singuli fecerunt, cum iam omnes ad sua loca sessionalia rediissent, RR. Promotores pro indicatione

futuri vij. concilij prouincialis in sessione faciendæ in hæc verba institerunt.

Illustriss. & Reuerendiss. Metropolitanæ, Cautum est, & veteri canone, & decreto prouinciali, proximam Synodum Prouincialem in sessione indicij: ideo humiliter petimus, septimam Synodum prouincialem futuram iam denunciari & indicij omnibus, qui præsentibus adesse debent.

Mox Illustriss. Metrop. Indictionem proximi concilij septimi Prouincialis cancellario dedit, qui ascendens suggestum promulgauit.

Et cum Deo bene iuuante omnia in præsentibus Synodo peragenda iam absoluta essent, Reuer. Promotores instant apud Illustriss. Metrop. vt finis iam imponatur.

Illustriss. Metrop. primò Reuerendissimorum Patrum sententiam super hoc rogandam esse censuit; & Cancellarius ascendens suggestum, vniuersè his verbis rogauit: [Reuerendiss. Patres, Placetne vobis ad Dei omnipotentis laudem, huius prouincialis Synodi finem iam fieri?] Tum descendens singulorum sententiam rogauit: & cum omnes [Placet,] simpliciter respondissent, Illustriss. Metropolitanus ita decreuit. Et de suggestu pariter decretum statim promulgatum est.

Decretum de fine Concilij.

**N**OS CAROLUS S. R. E. Cardinalis tituli S. Praxedis, Archiepiscopus S. Ecclesiæ Mediolanensis, Deo auctore & adiutore, cum absoluta sint, quæ pro temporis ratione agi gerique posse videbantur; cumque pastoralis cura, Reuerendiss. Episcopos, qui huc in Conciliū euocati sunt, ad Ecclesiarum suarum stationem & Pastoralem vigiliam reuocet; id propterea huic sanctæ Synodi finem iure faciendum censuimus.

Tum promotores pro rogatu actorum apud Cancellarium institerunt.

Illustriss. Metrop. antequam acclamationes haberent, & Reuerendiss. Patres de more in Pace dimitteret, de sella ante altare illos in sessione confidentes, breui, sed graui admodum concione, de